

Optandum autem esset, alteram, quam aliquoties Author hinc pollicetur, Narrationem quoque emissam fuisse, aut si forsan scripta quidem fuerit, sed alicubi delitescat (editam ego non vidi, nec ab alio visam, ex quoquam intellexi) fatius esset, eam publicè vtendam, quàm in abditis corrodam tinceis concedi. Quod idem de Commentarijs Erasmi Rheinholdi in eosdem Copernici Libros, optandum erat, nisi immatura eius Viri mors opus inchoatum, vt & multas alias Reipub. mathematicæ vtilissimas lucubrationes, abruptisset. Tu, Lector optime, his fruire, donec totum suum Vranicum vel Cosmicum opus, cuius hinc Prodrumum habemus, Keplerus noster emittat. Vale. Actum
Tubingæ in Musæo nostro, Calendis
Octobris. Anno Salutis
1596.

DOCTISSIMO
VIRO D. D. GEORGIO VOGELINO
CONSTANTIENSI, PHILOSOPHO,
& Medico, Amico tanquam Fratri, Achilles
P. Gassarus Lindauiensis salutem
dicit.

EN MITTO AD TE, VIR EXCELLENTISSIME, ὡς περ πρὸς τὸ μὴ ἀκλείου λιδοῦ, Libellū hunc non modò nouum, nostrisq; hominibus ignotum, sed tibi quoq; ni planè fallor, admirabilem, & undiquaq; ad stuporem vsque παραδοξώτατον. Quem Georgius Ioachimus Rheticus artium liberalium Magister, mathematicumq; apud Vuitebergam aliquando Professor, Ciuis, & Amicus meus summus, superioribus diebus, vnà cum epistola harum rerum refertissima, ex Gedano ad me dedit. Qui Liber licet consuetæ hætenus docendi methodo non respondeat, possitq; non vnico themate vsitatis Scholarum theoreticis contrarius, & (vt Monachi dicerent) hereticus existimari: Videtur tamen noua, & verissima Astronomiæ restitutionem, imò τὴν ἀληθινὴν γεννησίαν hand dubiè præferre, præfer-
tim